



**Vademecum Sive Praxis Opera Quotidiana Aliaque ritè
peragendi, & per ea salutem & perfectionem propriam, ac
proximi, instituto Societatis Jesu conformem assequendi**

De crebrâ per diem mentis in Deum elevatione ex omnibus, quæ per
sensus attinguntur, animæque potentiis se objiciunt

Limpens, Ferdinand

Coloniæ Agrippinæ, 1744

Subsectio decima. De peregrinationibus ad loca sancta.

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54773](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54773)

sapè millionibus constant, ut exurgant, reparentur, in statu debito permaneant. Et quando bellum ingruit, nequidem murorum ruina ex præcedenti bello tormentis bellicis inflicta reparata est, licet Officiales ad id nummos acceperint, & omnia in bono statu esse retulerint. Si Princeps in suo hæreat palatio, mittat Capucinum, qui oculis omnia perlustret, & fideliter referat. Hoc primum est, quòd dum de itineribus sermo est, mihi incidit. Unde fors inferes sicut & ex pluribus aliis in libello hoc, mei propositi esse *primò* ascensiones mentis in Deum, confortationem in S. fide, & meliorem hâc viâ S. Scripturæ intelligentiam. *2do*. Etiam variorum statuum occasione datâ crises.

2do. Incidit mihi quæstio aliqua ratione itinerantium breviter expedienda de peregrinationibus ad loca sancta, quas adeo hujus temporis Sectarii explodunt.

Subsectio decima.

De peregrinationibus ad loca sancta.

IN omnibus rebus per se bonis potest esse abusus sic & in his. Cæterum peregrinatio ad loca sancta, & quæ Deus variis honoravit miraculis, res per se est plena laboris & afflictionis voluntariè ex intentione bona suscepta, & ab omni antiquitate usurpata. Populus Israel tenebatur ter in anno templum invisere Deut. 16. Eunuchus Act. 8. qui relictâ Æthiopiâ ve-

nit adorare in Jerusalem; præmium peregrinationis suæ baptismum & fidem in Christum accepit. S. Hieron. in Ep. ad Marcellam testatur ex omnibus nationibus homines venire in Palæstinam ad lustranda loca Christi veſtigia sanctificata. *Veniunt, inquit, Galli, Angli occidentem deserunt solem. Omnes populi orientales turmatim sunt. Audiuntur diversa lingua, sed omnes eandem complectuntur religionem.* Epistola incipit, *mensuram charitas non habet, & meretur tota legi.* S. Chrysoſt. in pluribus homiliis Romam suspirat. Quo ei copia fiat osculandi sepulchra & cineres Principum Apostolorum. Verum est Deum in omni loco esse, & nobis benefacere posse, tamen juxta suum beneplacitum magis in uno quàm in altero id facit, & miracula patrat. Jacob non ubique Deum sibi apparentem habuit, & hinc loca illa, in quibus id factum, specialiter honoravit. Nec Moyses in omni loco vidit rubum ardentem. Uno verbo sicut Deus olim apud arcam fœderis responsa & oracula dabat. Ità in diversis locis non tantum se, sed & Sanctos suos specialiter honorari vult. Ut omnium sæculorum gesta testantur. Si qui jam abusus, superstitiones, vel quæcunque alia non bona in ejusmodi peregrinationibus intercurrent, ea sanè Ecclesia non approbat, imò severè prohibet, & illi, quos vi officii id concernit, illud impedire & tollere debent.

§. 2dus.

Homo se ipsum contemplans, & ex iis, quibus constat, ad virtutem unionemque cum Deo sese excitans.

Nunc quidquid cæli ambitu globoque terraqueo continetur viventium & inanimatorum, pervagatus homo Viator ad Microcosmum nec alium ac purè te ipsum redi. Disce sapè te, & quidquid in corpore animaque habes, mente percurrere, & salubria exin tibi documenta mentisque in Deum elevationes inculcare.

Corpus.

Objecro vos per misericordiam Dei, ut exhibeatis corpora vestra hostiam viventem, sanctam & Deo placentem. Rom. 12. Vita JESU manifestetur in corpore vestro mortali. 2. Cor. 4.

Caro, Pellis, Ossa.

Scio, quòd Redemptor meus vivit, & in novissimo die de terra surrecturus sum. Et rursum circumdabor pelle mea, & in carne mea videbo Deum meum. Reposita est hec spes mea in sinu meo. Job. 19. Confige timore tuo carnes meas, à judiciis enim tuis timui. Pl. 118. Dinumeraverunt omnia ossa mea. Pl. 21. Christus ità flagellatus

466 Pars secunda de elevatione
latus fuit, ut ossa paterent. Quoniam tacui (ita
David anno integro impœnitens ratione adul-
terii & homicidii) inveteraverunt ossa mea, dum
clamarem totâ die. Ps. 31. Quasi vetustate emar-
cuerunt, exaruerunt ob continuum plandum
& inquietudinem conscientia. Nam spiritus
tristis exsiccat ossa. Prov. 17. sicut conscientia
bona, fama bona impinguat ossa. Pröv. 17.
Omnia ossa mea dicent, Domine, quis similis tibi?
Ps. 34. Exultabunt ossa humiliata. Ps. 50. Sive
vires præ timore iræ tuæ, & dolore pœnitentiæ
vehementer afflicta. Os non comminuetis ex eo.
Joan. 19. Christo, in Ecclesia Christi membra
sumus corporis ejus, & de carnibus ejus, & de ossi-
bus ejus. Sacramentum hoc magnum est, ego au-
tem dico in Christo, & in Ecclesia. Ephes. 5. Sci-
licet ut de cõsta Adami formata est Eva, ita ex
latere vel costa Christi aperta prodivit Ecclesia.
Ossa arida audite verbum Domini. Ecce ego in-
tromittam in vos Spiritum, & vivetis, & dabo
super vos nervos, & succrescere faciam super vos
carnes, & superextendam in vobis cutem. Ezech.
37. Id omnibus tuis, & aliorum hominum ossi-
bus eveniet in die resurrectionis. De hoc sæ-
pè cogita, sicut & dum carnem tuam conside-
ras, cogita, quàm horribile eâ demptâ sit mon-
strum Scheleton sive Knochenhans.

Facies, Guttur, Fauces.

EXquisivit te facies mea, faciem tuam Domi-
ne requiram. Ps. 26. Imple facies eorum
igno.

ignominia, & quarent nomen tuum Domine. Pl. 82. Humiliatio tibi sæpè expedit. Protector noster aspice Deus, & respice in faciem Christi tui. Pl. 83. Mitto Angelum meum ante faciem tuam. Luc. 7. Expuerunt in faciem ejus, palmas in faciem ejus dederunt. Matth. 26. Non dedi ad peccandum guttur meum. Job. 31. per intemperantiam. Quam dulcia faucibus meis eloquia tua! super mel ori meo. Pl. 118. Gustans gustavi paululum mellis, & ecce morior. 1. Reg. 14. Jure sic suspirat voluptuarius, Dederunt in escam meam fel, & in siti potaverunt me aceto. Pl. 68. prædictum de Christo.

Frons, Oculi, Nasus, Aures.

P*Epigi fœdus cum oculis meis, ut ne cogitarem quidem de Virgine. Quam enim partem haberet in me Deus desuper, & hereditatem omnipotens de excelsis. Job. 31. Hoc maximè consideret Ecclesiasticus religiosus, ut nequidem per intuitum mulieris sensualis in eo oriatur affectus. Oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quæ preparavit Deus iis, qui diligunt illum. 2. Cor. 2. Oculi mei defecerunt in salutare tuum. Pl. 118. Salutare est Christus in Eucharistia, quem hic vides in enigmate, & coram quo desiderium ardens sæpè debes elicere, ut eum videas de facie ad faciem. 1. Cor. 13. Sepi aures tuas spinis. Eccli 28. Timoris Domini. Cave sensualitatem nasi, nam erit pro suavi odore fœtor. Is. 4. Nasus tuus sicut turris*

Libani, qua respicit Damascum. Cant. 7. Sublongus rectus & acuto præditus olfactu, per quod innuitur sagacitas & solertia in detegendis & præcavendis hostium insidiis. Hanc habens Clientibus suis est pro tublimi & fidâ speculâ. Sicut Judæis spectabilis erat illa turris in altissimo monte Libani erecta, quæ respicit contra Damascum. Unde Judæorum speculatores statim renuntiabant, si quid novatum rerum à Syris juratis Judæorum hostibus tentaretur. Nolite nocere terra & mari, quoad usque signemus servos Dei in frontibus. Apoc. 1.

Lingua, Os, Labia, Gena, Collum.

Pronuntiabit lingua mea eloquium tuum, quia omnia mandata tua æquitas. Ps. 118. Linguam nequam noli audire, & ori tuo facito ostia, & seras. Verbis tuis facito stateram, & frenos ori tuo rectos, & attende, ne fortè labaris in lingua, & cadas in conspectu inimicorum insidiantium tibi. Eccli 28. Indisciplinata loquela [garriendo quid pro quo] non assuescat os tuum; est enim in illa verbum peccati. Eccli 23. Sive in multiloquio non deerit peccatum. Prov. 10. Mors & vita in manu lingue, qui diligunt eam, comedent fructus ejus. Prov. 18. Percutiet terram virga oris sui, & spiritu labiorum ejus interficiet impium. Il 11. Christus Antichristum. Eructabant labia mea hymnum; cum docueris me justificationes tuas. Ps. 118. Os meum aperui, & atraxi spiritum, quia mandata tua desiderabam. Ibid.

Ibid. *Vocem meam audi secundum misericordiam tuam Domine, & secundum iudicium tuum vivifica me.* Ibid. Certè vivet in gratia; qui has duas infinitas divinas perfectiones semper habet ante oculos misericordiam & iustitiam infinitam. *Vocem meam ad Dominum clamavi, voce meam ad Deum, & intendit mihi.* Pl. 76. *Ambulaverunt extento collo.* Il. 3. rebelles Deo. *Solve vincula colli tui captiva Filia Sion.* Il. 52. Peccatrix anima iugo Dæmonis subjecta. *Qui scandalizaverit unum de pusillis istis, expedit ei, ut suspendatur molâ asinaria in collo ejus, & demergatur in profundum maris.* Matth. 18. *Corpus meum dedi percutientibus, & genas meas vellentibus; faciem meam non averti ab increpantibus, & conspuentibus in me.* Il. 50. Hæc pro te Christus. Quid tu quoad corporis membra pro Christo? vel quid non potius pro Diabolo, pro vanitate? fucatis artibus quærens pulchritudinem faciei genarum.

Caput, Cor.

Caput & cor primariae sunt sedes animæ, ut ratiocinari & vivere possis. Ità tamen limitata est racionatio tua; ut non capias, quomodo vivas & ratiocineris; qualis sit compaginatio aut compositio cerebri tui; quomodo per sensus externos & phantasiam fabricentur species in intellectu, in quo vis intellectiva & rememorativa consistat. Quid sit incompletus spiritus anima tua. Imò ut ne quidem scias, an

& quid materia prima corporis tui. In quo vis visiva oculi, & cæterorum sensuum; in quo vis digestiva stomachi, fibrarum arteriarum consistat: an & quomodo accrescat, minuatur, convertatur in carnem sanguis, quæ & qualis sit circulatio sanguinis, an & quomodo per eam in corde sit sedes vitæ & in capite, quomodo formatus fueris embrio in ventre matris. Quomodo secernantur ex digestionem stomachi ea, quæ ad pituitam, excrementa ordinantur &c. Domi hospes es, & tamen quoad ea, quæ tu non es, etiam divina; vis esse sciolus, aut difficulter credere, quæ non capis. O miserum caput! dum cor & caput tuum consideras. Caput tuum sive omnium actionum tuarum a & w sit Christus Redemptor tuus. *Lapidem, quem reprobaverunt* (Judæi, & qui statuam Nabuchodonosoris contrivit) *hic factus est in caput anguli.* Marc. 12. Huic tu angulari lapidi, qui fecit utraq; unum sive ex Judæis & gentibus unam Ecclesiam, submitte capitellum & cerebellum tuum. *Facies coronas* [ex omnibus, quæ à Deo habes] *& pones in capite JESU.* Zach. 6. *Ipsè est caput corporis Ecclesia.* Coloss. 1. *In capite libri scriptum est de eo.* Hebr. 10. *ut faceret voluntatem patris sui.* Huc tu dirige vires omnes cerebri tui, & eris inter Beatos illos, quorum coronæ in capitibus eorum describuntur. Apoc. 4. & 9. Et Ps. 20. dicitur: *Possuisti in capite ejus coronam de lapide pretioso.* Cujus ut particeps fias, noli juxta consilium D. Bern. delicatum esse membrum sub spinoso capite.

Beati

Beati qui scrutantur testimonia ejus, in toto corde
exquirunt eum. Confitebor tibi in directione cor-
dis. In toto corde meo exquisivi te. In corde meo
abscondam eloquia tua, ut non peccem tibi. Ps.
118. Caritas Dei diffusa est in cordibus nostris per
Spiritus S. qui datus est nobis. Rom. 5. Expe-
cta Dominum, viriliter age, & confortetur cor
tuum, & susline Dominum. Ps. 26. Paratum cor
meum Deus, paratum cor meum. Ps. 107. Sig-
natum est super nos lumen vultus tui Domine, de-
didisti laetitiam in corde meo. Ps. 4. Inclinaui cor
meum ad faciendas justificationes tuas, quia ex-
ultatio cordis mei sunt in aeternum propter retri-
butionem. Ps. 118. Incrassatum est cor populi hu-
jus, & auribus graviter audierunt, & oculos
suos clauserunt, ne quando videant oculis, & au-
ribus audiant, & corde intelligant. Matth. 13.
A tam indurato per propriam malitiam corde
libera me Domine. Cor meum erit & mane-
bit contritum quoad praeiterita, docile quoad
futura. Cor durum male habebit in novissimo.
Sap. 3. Passim ubi nos habemus in vulgata in-
gravatum est, vel induratum est cor Pharaonis,
In Hebraeo legitur: Induravit Pharaon cor suum,
ingravavit cor suum. Et cap. 10. Exod. v. 16.
Pharaon minus impius quam Calvinus non Deo,
sed sibi culpam omnem adscribit dicens: Pec-
cavi in Dominum Deum. Nec immisit in hunc
finem Deus multiples plagas, ut obduraretur,
sed ut emolliretur Pharaon. Supposita autem
& praevisa illius pertinacia voluit consequenter
Deus illius punitionem, & exinde manifesta-
tionem

tionem potentiae iustitiaeque suae. Hinc c. 9. Exod. v. 16. dicit: *Posui te (servavi in regni folio & vita) ut ostendam in te pro meritis puniendo fortitudinem meam, & narretur nomen meum in omni terra.*

Jecur, & Viscera.

Defecerunt pro lacrymis oculi mei, conturbata sunt viscera mea, effusum est in terra jecur meum super contritione. Thren. 2. *Dirumpam interiora jecoris eorum, & consumam eos quasi leo.* Os. 13. *Testis est mihi Deus, quomodo cupiam vos omnes in visceribus IESU Christi.* Philip. 1. *Induite vos sicut Electi Dei, Sancti & dilecti viscera misericordiae benignitatem, humilitatem. Donantes vobismetipsis, si quis adversus aliquem habet querelam, sicut & Dominus donavit vobis ita & vos.* Coloss. 3. *Obsecro te pro meo filio, quem genui in vinculis, Onesimo, illum ut viscera mea suscipe.* Ad Philem. v. 12. *Erat hic vilis servus & perversus ante conversionem. Vide quanti illum ut Christi membrum Paulus faciat.*

Pectus.

Cum Publicano percutere pectus tuum, & dic: *Propitius esto mihi peccatori.* Luc. 18. *Omnis turba eorum, qui simul aderant ad spectaculum istud [mortem Christi] percutientes pectora sua revertebantur.* Luc. 23. *Haec continua tua in contemplatione Christi pro te cruci-*

ifixi fit exercitatio. In Cœna ultima Joannes recubuit supra pectus JESU. In fine JESU. Joan. 13. O si ita in Cœna Eucharistica, in morte, dum accipis viaticum requiescere possis.

Præcordia.

Populi non intelligentes, nec ponentes in præcordiis talia [quomodo Deus remuneretur fideles servos suos] quoniam gratia Dei & misericordia est in Sanctos eius. Sap. 4. Ergo tu in præcordiis tuis talia altè immitte. Ut scivi, quoniam aliter non possem esse continens, nisi Deus det, & hoc ipsum erat sapientia scire, cuius esset hoc donum; adii Dominum, & deprecatus sum illum, & dixi ex totis præcordiis meis Sap. 8. V. Cap. seq. ejus orationem. Sicut eruētant præcordia foetentium, sic & cor superborum. Eccli 11. Præcordia fatui quasi rota carri, & quasi axis versatilis cogitatus illius. Eccli 33. Anima mea desideravit te in nocte, sed & in spiritu meo in præcordiis meis de mane vigilabo ad te. H. 26.

Mamilla, Umbiculus, Venter, Lumbi.

Suges lac gentium, & mamillâ regum lactaberis, & scies, quia ego Dominus salvans te. H. 60. Delitiis, opibus, splendore afflues. Hoc de Ecclesia Christi maximè prædictum. Tu sugis ex mamilla Ecclesiæ, & in alio sensu sudor ac labor rusticorum est mamilla Regum. Fortitudo ejus in lumbis ejus, & virtus in umbilico ventris

tris ejus Job. 40. Bemoth sylvestre animal, symbolicè Diabolus est, qui vires accipit à propria carne nostra ad nos debellandos per sensum tactus in lumbis & umbilico. Sed qui sunt Christi, carnem suam crucifixerunt cum vitis & concupiscentiis. Gal. 5. Aufer à me ventris concupiscentias, & concubitus concupiscentia ne apprehendant me. Eccli 23. Esca ventri & venter escis Deus autem & hanc & has destruet. 1. Cor. 6. Mala bestia ventres pigri. Tit. 1. Erit iustitia cingulum lumborum ejus, & fides cinctorium renum ejus. Is. 11. Siate succincti lumbos vestros. Ephel. 6. Qui spiritualizantes se & fomenta quærunt, hujuscemodi Christo Domino non serviunt, sed suo ventri, & per dulces sermones NB. & benedictiones seducunt corda innocentium. Rom. 16.

Vena, Sanguis.

*V*ena vite os iusti. Prov. 10. Dereliquerunt venam aquarum viventium. Jer. 17. Fons turbatus pede & vena corrupta iustus cadens coram impio. Prov. 25. Quia sicut fons cæno per pedem commoto non ampliùs servit pro speculo, & vena, id est, aquæ ductus infectus non transmittit, nisi aquam corruptam ad fontem. Sic iustus coram vel advertente peccatore ejus peccatum ebrietatis, iræ, impudicitie non prodest ampliùs, sed potiùs nocet peccatori. Sanguis Abel iusti usque ad sanguinem Zacharia. Matth. 23. Et sanguis omnis innoxius fusus clamat vindictam in cælum. Hoc Princeps ejusque

que Ministri ad injustum bellum incitantes considerent. Qualis angustia Christi in horto ! *qua fecit guttas sanguinis decurrere in terram.* Luc. 22. *Non acquievi carni & sanguini.* Gal. 1. *Lavit nos in sanguine suo.* Apoc. 1. Domine ultimam guttam de voveo sponsæ tuæ Ecclesiæ, quam in sanguine tuo tibi desponsasti. *Qua utilitas in sanguine meo ?* Pl. 29. Hoc Christo paucitatem salvandorum ex propria hominum malitia in horto consideranti sanguineas excussit lacrymas.

Stomachus, Renes.

Noli adhuc aquam bibere (quæ aliàs erat potus Virorum SS.) sed modico vino utere propter stomachum tuum, & frequentes infirmitates tuas. 1. Tit. 5. Si modico non asquiescis, saltem ne excede. Hoc enim nullum hominem, multò minùs te decet. *Nunquid sapiens respondit quasi in ventum loquens* (pro seriis reddet vana & impertinentia verba) *& implebit ardore stomachum suum.* Job. 15. cum ira. *Ego sum scrutans renes.* Apoc. 2. *Cor tabescens, & dissolutio genicularum, & defectio in cunctis renibus.* Nahum. 2. Propheta id inter cætera mala à Chaldæis inferenda prædicit Ninivitis, sed hæc tria in te quoque experiuntur luxuriæ assueti.

Dentes.

Dentes ejus ut dentes leonis, & molares ejus, ut catuli leonis. Joel. 1. Hoc Propheta dicit de

de Chaldæis Judæam vastaturis. Per dentes intelliguntur gladii & hastæ Chaldæorum, qui instar dentium leonum [qui acutissimi sunt & fortissimi ad cuncta celerrimè sternenda ac frangenda) omnia vastabunt. Per molares dentes intelliguntur balistæ, arietes, & aliæ machinæ bellicæ, qui omnia evellent ut dentes catuli leonis integri adhuc & recentes, necdum pugnano attriti vel evulsi. Ego per hos dentes leonis & catuli leonis imaginor mihi, quomodo damnati per Dæmones, vel fors etiam per omnis generis horrificas bestias in æternum sint discerpenti. Et hinc etiam in inferno erit continuus *fletus & stridor dentium*. Matth. 24. *Ex visu cognoscitur vir, & ab occurso faciei cognoscitur sensatus. Amictus corporis, & risu dentium, & ingressus hominis enuntiant de illo.* Eccl. 19. Certè ex vultu, gestibus, incessu multas conjecturas de indole hominis sumere possumus, & etiam ex risu, dum dentes ostenduntur, fraudulentam adulationem aut animi dissolutionem licet colligere, sicut dum comprimuntur, latentem indignationem, invidiam. Physiognomici quidam dicunt in uniuscujusque hominis vultu relucere figuram certæ cujusdam bestię v. g. leonis, tauri, vulpis, felis, &c. ex quarum bestiarum indole judicium de naturali hominis cuiusque propensione desumunt. Putem ego signum indolis esse bonæ; quando in vultu nulla propriè imago bestię discernitur, qualis est vultus hominis ingenui, sinceri, liberalis, pacifici, benigni, &c. *Stridebant dentibus in eum.* Act. 7.

Stephanum præ rabie Judæi, sicut & in Christum.

Ungues.

Ungues tui pessimi. 4. Esd. 11. Hoc laceranti famam proximi, vel aliena rapienti applicari potest. *Eâdem horâ [quâ Daniel prædicabat] sermo completus est super Nabuchodonosor, & ex hominibus abjectus est, corpus ejus infectum est, donec capilli ejus in similitudinem aquilarum crescerent, & ungues ejus quasi avium.* Dan. 4. *Moraliter* omnis peccator similis imò deterior factus est bestiis. Sinenses ungues prolixos tanquam nobilitatis ac ingenuitatis indicium amant. Nos meritò sorditiei ac pigritiæ adscribimus. Sicut & si quis in aliorum maxime conspectu dentibus ungues præmordeat, licet sæpè pensum sive stylo soluto, sive ligato ab homine isti inurbanitati assueto vel conceptibus suis abrepto elaboratum bonum sit, quòd præmorcos sapit ungues.

Crines.

Discriminavit crinem capitis sui Judith. 10. Hoc Juditha fecit instinctu Dei. Utinam multæ mulieres non ornarent caput suum instinctu Diaboli, vanitatis, luxuriæ. Hinc Apostolus 1. Timoth. 2. *Mulieres in habitu ornato cum verecundia & sobrietate ornantes se, & non in tortis crinibus, sed quod decet mulieres promittentes pietatem per opera bona.* Absalon, quando

quando tondebat capillum capitis sui, semel in anno, ponderabat capillos capitis sui ducentis siclis pondere publico. 2. Reg. 14. Q. Quomodo hoc intelligendum sit, cum inconceptibile sit capillis unius hominis anniversariâ tonsione tantum ponderis inesse, quantum non habent bina ovium aut caprarum vellera, nempe octo libras Romanas cum triente. R. Non hic agi de pondere, ut aliqui perperam sentiunt, sed de pretio. Hinc per *ponderabat*, intellige *appendebat venales* ducentis siclis, id est ducatis, seu scuris aureis octoginta monetæ Romanæ. Non tamen verosimile est tanti Regis filium quæstum ex capillis suis publicè venum propositis quæsisse, sed dono datos esse aliis, qui pretium antedictum à puellis Solymitanis flavos illos ac rutilos capillos in sui capitis adscititium ornatum magnâ contentione ambientibus facillimè extorquebant. Qui quinquaginta aliquot annorum reminiscitur, scit varia habuisse mulieres ornamenta capitis. Jam mos obtinet crispandi crines, & magno sibi honori ducunt juvenes, si ad alloquium admittantur, dum crines mulieris ante speculum sedentis crispantur. Sic ex gente levitati ac vanitati deditâ semper nova proveniant vanitatum exempla. Sicut autem ipsum vanitatis instrumentum sive flava illa & oblonga cæsaries Absaloni 2. Reg. 18. Causa mortis corporalis fuit, dum eâ adhæsit condensæ quercui & mulo, cui insederat, pertransunte inter cælum & terram suspensus mansit. Sic istis ornamentis suis vanis mulieres & sibi & lasci-

lascivientibus juvenibus sæpè adferunt mortem animæ. O quàm feliciùs anima sponsa Christi sponsum suum vulnerat *in uno crine colli sui.* Cant. 4. Id est affectu generosâ collum suum divino subjiciens jugo. Dalila dormire eum, [Samsonem] *fecit super genua sua* [somnifica quædam fors ante in potu aut cibo dedit] *Et in sinu suo reclinare caput. Vocavitque tonsorem, Et rasi septem crines ejus* (id est septem circinnos, quibus constabat, & in quos velut in septem quali catenulas distincta & collecta erat tota Samsonis cæsaries, vel capilli omnes) *Et cepit abigere eum, Et à se repellere: statim enim ab eo fortitudo discessit.* Et sic capto Philistæi *statim eruerunt oculos ejus, Et duxerunt Gazam vinculum catenis, Et clausum in carcere molere fecerunt.* Jud. 16. Hæc historia multarum ferax est reflexionum bonarum. Dalila sive alia meretrix caro voluptas sic adimunt robur, sive gratias divinas voluptuario, & ità cadenti in potestatem Dæmonis eruuntur oculi mentis & residua bona, quæ habuerat principia. Ità ut in vilissimis juxta ac scædissimis impostero serviat Diabolo. O infelix adolescens, qui quiescit in talis Dalilæ sinu, & perdit vires corporis & animæ. Hoc sæpè magno Heroi contigit. Q. Quomodo intelligendum sit illud Samsonis: *Sirasum fuerit caput meum, recedet à me fortitudo mea, Et deficiam; eroque sicut ceteri hominum.* R. Fortitudinem Samsonis fuisse qualitatem supernaturaliter membris illius inditam; sed à crine tanquam signo dependentem. Nam hoc

hoc expresso pacto eam Deus illi donârat, si Nazaræus esse perseveraret, & comam aleret. Et ad comprimendam animi superbiam securius latebat tam eximium robur sub crinibus, hoc est sub re vilissima, debilissima, stupidissima. Itâ Chrysoſt. Ambros. Sicut autem olim Nazareus sive Deo dicati signum erat alere crines itâ, ut novacula non ascenderet super eaput ejus. Itâ modò religiosi curant sibi vel ex toto vel ex parte radi crines, in signum quòd omnia superflua à se abjiciant, & Deo se totos dedicarint.

Jam quòd Samsoni *capilli renasci* cœperint; & sic fortitudinem pristinam receperit: designat; quomodo peccator è Diaboli captivitate, novis à Deo gratiis velut novis aut pristinis acceptis viribus eruatur. Quòd autem Samson fortitudine pristinâ receptâ, & oratione ad Deum præmissâ columnis duabus succussis *plures interfecit unâ cum iis moriens, quàm ante vivum occiderat.* Factum ex instinctu divino. Juxta SS. PP. omnibus vitæ suæ gestis, & maxime ultionem stupendâque morte Samson præfiguravit Christum. Interim verè cecinit de Samson Poëta:

Lenam non potuit, potuit fugare Leenam,

Quem fera non potuit vincere, vicit Hera.
Erit pro crispanti crine calvitium, & pro fascia
pectoralis cilicium. Il. 3. Mutationem illam futuram prædicit Propheta Judæis; dum Chaldaei, vel etiam Romani excident Jerosolymam. Sed idem multò acerbius experientur in vita altera; qui hîc itâ dediti sunt vanitatibus.

In sensu amœniore etiam id applicatur vano mundi clienti religiosum statum pœnitentiæ causâ ingresso.

Brachia.

*S*levavi super pupillum manum meam (ei nocui) etiam cum viderem me superiorem. *Humerus meus à junctura sua cadat, & brachium meum cum suis ossibus confringatur.* Job 31. Felix Judex & quivis alius, qui ità in veritate contestari potest, se proximo non nocuisse. *In gladio suo non possederunt terram (Israelitæ Palæstinam) & brachium eorum non salvavit eos, sed dextera tua, & brachium tuum.* Ps. 43. Hoc benè observa, qui per desertum mundi hujus ad terram promissionis ad cælum, non obstantibus tot hostibus, animæ prædonibus, te speras perventurum. Maledictus qui confidit in homine, in se ipso, in brachio carneo. Illi soli innitere, qui fecit potentiam in brachio suo. Luc. 1. Et cujus fortitudo nec decurtata est, nec decurtari potest. *O Domine, semper de me dic: Manus mea auxiliabitur ei, & brachium meum confortabit eum.* Ps. 88. Brachium mulieris ad blandiendum id extendentis cavebo, & brachium meum ad illicita aliena non extendam. *Esto brachium nostrum in mane, & salus nostra in tempore tribulationis.* Is. 33. *Brachia peccatorum conterentur, confirmat autem justos Dominus.* Ps. 36.

Humeri, Cervix,

Imporium super humerum eius. If. 9. Prædicitur ibi Principatus Christi, quem Cruce humeris impositâ promeritus est. Christus ovem perditam, humanum genus imponit in humeros suos gaudens. Luc. 15. Reddam populis labium electum, ut invocent omnes in nomine Domini, & serviant ei humero uno. Sophon. 3. Omnes gentes ante finem mundi, ad Christum convertentur. Benedicta familia domus, in qua omnes unanimi consensu serviunt Deo. Dederunt humerum recedentem (à mandatis Dei) & cervicem suam induraverunt, nec audierunt. 2. Esdræ 9. Qui id queritur de Judæis, & ego de Christianis, religiosi non servantibus regulas suas. O quàm bonum est jugum istud portasse ab adolescentia. Ab humero & sursum eminebat super populum. 1. Reg. 9. Saul. Sed nec in ipso, nec in gigante Philisthæo, nec in Eliab fratre Davidis procero habebat complacentiam suam Deus, sed in parvo innocente Davide. Sola magnitudo est, esse magnum coram Domino. Populus dura cervicis Exod. 34. cucurrit (peccator contra Deum) adversus eum erecto collo, & pingui cervice (in prosperis) armatus est. Job. 15. Pro anima mea (dicit Paulus de Prisca & Aquila) cervices suas supposuerunt, quibus ideo gratias agunt cuncta Ecclesia gentium. Rom. 16. Eisdem Indi vobis agunt & agent O Viri Apostolici; quòd pro animabus eorum salvandis cervices vestras

vestras supposueritis, & supponatis. Sit benedictum Seminarium, ex quo tales viri procedunt.

Genua.

JUd. 7. Tantùm à Domino in prælium contra Madianitas assumpti sunt trecenti viri, qui aquam bibituri pedibus erectis, corpore incurvato hauserunt in volâ manûs aquas, & ad os trajecerunt. Cæteri rejecti, qui *curvatis genibus* prostrato corpore caput in ipsas aquas inclinârunt, & instar bovis tantum hauserunt uno quasi spiritu aquarum; quantum libebat. Posteriores symbolum sunt hominum potui commoditatibus corporis, inertix addictorum, & se terrenis immergentium. Posteriores symbolum temperantium & fortium. Cùm nec hoc quidem quietis aut refocillationis sibi indulserint; ut genibus inflexis & ore propius admoto aquam commodiùs & abundantius haurirent. *Derelinquam mihi in Israel septem millia virorum, quorum genua non sunt curvata ante Baal.* 3. Reg. 19. Pauci respectu tot Israelitarum idola colentium. Sed an sunt respectivè plures apud Christianos in diversis statibus ac professionibus, v.g. inter Principes, Aulicos, Ministros, Magistratus, Causidicos, Mercatores, Milites, &c. qui non curvant genua, vel adorant idolum aliquod, nummos, Venerem, Bachum, respectum humanum, &c. *Curvabo genu Deo excelso.* Mich. 6. *Flecto genua mea ad Patrem.* Ephes. 3. *Omne genu flectatur caelestium, terrestrium & infernorum.*

*Pars secunda de elevatione
rum. Philipp. 2. In omnium horum unione &
tu flecte sæpè genua ante Jesum, Confortate ma-
nus dissolutas, & genua debilia roborate. Dicite
pusillanimis confortamini, & nolite timere. Il. 35,*

Digiti.

Digitus Dei est hic. Exod. 8. Signum divinæ
providentiæ. Hoc Paulus III. dixit lectâ
formulâ instituti Societatis. *Homo Apostata*
(desertor Dei virtutis) *annuit oculis* [ad irri-
dendum & subsannandum] *terit pede, digito lo-
quitur.* Prov. 6. Et his instrumentis ex una par-
te fingit se amicum, ex altera insidiantibus ho-
stibus prodit quasi signo dato amicum. *Super-
pone digitum ori vestro.* Job. 21. Non garrien-
dum, quando tacendum. *In eadem hora appa-
ruerunt digiti quasi manus hominis scribentis, &
Rex aspiciebat articulos manus scribentis. Tunc
facies Regis commutata est. Compages renum ejus
soluebantur, & genua ejus ad se invicem cobide-
bantur.* Dan. 5. O quanto terrore implebun-
tur impii in agone! dum instat Judex, qui nu-
meravit annos, peccata, gratias datas, appen-
dit merita ac demerita; & demum dividet vitam
à morte, incolatum mundi hujus à domo æter-
nitatis. Dives Epulo siti in inferno æstuans pe-
tebat, ut Lazarus intingeret, *extremum di-
giti sui in os ejus.* Luc. 16. Nil quidem juvillet
exigua hæc refocillatio. Sed per hoc dicere vo-
luit Christus: quòd æ quidem tenuissimam so-
latii umbram damnati habeant. *Infer digitum*
num

in hunc, affer manum tuam, & mitte in latus meum. Joan. 20. O mi JESU hoc cum Thoma Apostolo tuo crebrò faciam in spiritu, & dicam: *Dominus meus, & Deus meus.*

Minimus digitus meus grossior est lumbis Patris mei. Pater meus cecidit vos flagellis (loris, quæ tantùm corpus pulsant) ego verò cecidam vos scorpionibus. L. 2. Paral. c. 10. Sunt lora aduncis aculeis seu stimulis armata sicut scorpium, quæ non tantùm corpus pulsant, sed lacerant ac discerpunt. Ità sapientissimi Parentis Regis Salomonis respondebat, rejecto consilio Seniorum, juvenes stolidos secutus stolidissimus filius Roboam, & per hoc regnum decem tribuum perdidit. Sic stultus putat suum digitum, hoc est minimum etiam talentum, quod habet, præstare præ maximis talentis virorum doctorum ac prudentum. Sic heroum filii noxæ, & sapientum parentum soboles stulta. Et hujus sæpè causa sunt ipsi quoad cætera prudentes & sagaces patres. Et probabiliter Salomon in hoc quoque reus est, dum in senectute depravatum est cor illius per mulieres.

Manus.

Quodcumque facere potest manus tua, instanter operare, quia nec opus, nec ratio, nec sapientia, nec scientia erunt apud inferos, quò tu properas. Eccles. 9. Tenuisti manum dexteram meam, & in voluntate tua deduxisti me, & cum gloria suscepisti me. Pl. 72.

X 3

Pedes.

Pedes.

Sordes ejus in pedibus ejus, nec recordatus est finis sui. Thren. 1. Gressus meos dirige secundum eloquium tuum, & non dominetur mei omnis injustitia. Pl. 118. Ab omni via mala prohibui pedes meos, ut custodiam verba tua. Ibid. Lucerna pedibus meis verbum tuum, & lumen semitis meis. Ibid. Perfecit pedes meos tanquam cervorum (in via perfectionis) & super excelsa statuens me. Docet manus meas ad praelium (contra hostes animæ) & posuisti ut arcum aureum brachia mea. Dilatasti gressus meos subtus me, & non sunt infirmata vestigia mea. Pl. 17.

Tres animæ potentia.

Memoria memor ero [contrito corde peccatorum meorum] & tabescet in me anima mea. Thren. 3. Vigilate memoria retinentes. Act. 20. Monita mea. Memoriam vestri facio. Rom. 1. in precibus, sacrificiis. Accendam in corde tuo lucernam intellectus. 4. Esd. 14. Adhuc & vos sine intellectu estis? Math. 15. Quod Christus olim Apostolis, idem & jam multis Catholicis religionis objicere potest. In captivitatem redigentes intellectum in obsequium Christi 2. Cor. 10. Da mihi intellectum, & scrutabor legem tuam. Pl. 118. Non ambuletis, sicut & gentes ambulant in vanitate sensus sui tenebris obscuratum habentes intellectum. Ephes. 4. Faciat

lis ejus voluntatem. Hebr. 13. Subjecti estote omni humana creatura (Superioribus) propter Deum, quia sic est voluntas Dei. 1. Petr. 2. Non coactè sed spontaneè. 1. Petr. 5. Domine, quid me vis facere? Act. 9. Noli velle videri sapiens, noli velle mentiri. Eccli 7. Videam voluntatem Domini. Pl. 26.

Anima.

*C*ustodivit anima mea testimonia tua, & dilexit ea vehementer. Pl. 118. Vivet anima mea, & laudabit te, & judicia tua [particulare & universale favens] adjuvabunt me. Pl. 118. O homo viator hoc totum tutum sit studium; ut animam, quam habes unicam, vitæ tuæ tempore, & in morte, quæ tantum semel tibi obveniet, salves, quam diu vivis. Caro concupiscit adversus spiritum, & spiritus adversus carnem. Gal. 5. Tu subjuga carnem; & ab illis abstine, quæ carnem magis spiritui rebellem faciant. Carissimi obsecro vos tanquam advenas & peregrinos abstinere vos à carnalibus desideriis, quæ militant adversus animam. 1. Petr. 2. O Catholice, O Sacerdos Dei altissimi, O religiose! quam misero eris loco respectu gentiliū, hæreticorum sæcularium? si anima tua tot signata characteribus, præterquam quod imago sit SS. Trinitatis, in æternum ardeat in inferno. In quacunque demum tentatione, arduoque luctamine agonizare pro anima tua, & usque ad mortem certa. Eccli 4. Singulis quasi

momentis [quia in uno tibi incerto morieris]
 fit tibi in ore & corde illud Christi Matth. 16,
Quid prodest homini, si mundum universum lu-
cretur, anima verò sua detrimentum (vel mi-
 nimam jacturam unius gradus æternæ gloriæ)
patiatur. Aut quam dabit homo commutationem
pro anima sua? quia si semel apud inferos capta,
 semel judicio divino damnata est: damnus est
 irreparabile in æternum. Demum sicut ad pre-
 tiosum thesaurum semper attendis, quem ha-
 bes vel portas in manibus tuis, dum v. g. es in
 itinere, semper sollicitus; ne eum vel tuâ cul-
 pã ipse perdas, vel alius surripiat. Itã dic in
 omni per diem actione, conversatione, &c.
 semper ad animam tuam, pretioso Christi san-
 guine redemptam, visione Dei in æternum pa-
 scendam, amore Dei in æternum arsuram re-
 flectens. *Anima mea in manibus meis semper.*
 Pl. 118. *Fili in mansuetudine* (homo enim man-
 suetus passionibus non distractus ad id maxime
 aptus est) *serva animam tuam, & da illi hono-*
rem (non subjiciendo Dæmoni, mundo, ulli
 homini, aut propriis corporis desideriis) *se-*
cundum meritum suum, peccantem in animam
suam [qua similis est Angelis, & pro qua Chris-
 tus mortuus est) *Quis justificabit? & quis ho-*
norificabit exhonórantem animam suam. Eccl. 10.

Equidem, quòd sancta fides nostra & Deus in
 S. Script. veteri & novã nos doceat; ut hono-
 remus animam nostram ad imaginem SS. Trini-
 tatis creatam, pretioso Christi sanguine redem-
 ptam, & vel summis tormentis post separatio-
 nem

nem ejus à corpore cruciendam in æternum in inferno, vel damni & sensûs pœnam toleraturam ad tempus in purgatorio, vel demum immediatè, vel quasi per tribulationis temporalis ignem transfiguram ad æterna gaudia. Id sat superque stimulare nos debet; ut vitiorum fugâ, quotidiano bonorum operum virtutumque exercitio eam honoremus. Quia tamen Epicuri affecta putat vel potius optat in morte hominis animam quoque interire, & quòd unus sit finis hominum & jumentorum; & tu cum ejusmodi subinde hominibus fortè ages; qui ut eò liberius in omni pravo luxuriæ aut alteri vitio indulgeant, immortalitatem animæ suæ adeoque honorem debitum denegant, & verbum Dei scriptum vel traditum non admittunt. Hinc ratione quoque immortalitatem istam hinc adstruendam esse duxi. Quo facto ostendam quoque contra Sectarios breviter, quomodo anima corpori suo juncta moriatur per peccatum moraliter, & reviviscat per contritionem & usum Sacramentorum.

Subsectio undecima.

Immortalitas animæ probatur.

1^{mo}. **E**odem argumento, quo demonstratur dari Deum, scilicet evidenter implicare, ut verum non sit, quòd pro vero habent, & semper habuerunt sapientes ac probi omnes omnium nationum, omnium